

R. 3. 175 ll.



28 ~~27~~

COLLEGII THEOLOGICI
DISPUTATIO XIV.

De

SACRAMENTIS
IN GENERE,

Quam

IN NOMINE SS. TRINITATIS
SUB PRÆSIDIO

*Viri Admodum Reverendi, Clarissimi &
Excellentissimi*

DN. PAULI RÖBERI, SS. Theol. D.

& P. P. celeberrimi, Pastoris, & Superattend. in cir-
culo Electorali generalis vigilantissimi, Synedrii Ecclesiast. Affes-
foris dignissimi, Dn. Præceptoris, Fautoris & Promotoris sui
omni observantiæ cultu ætatem prosequendi,

*In Includatâ Wittebergensi Academiâ placide
ventilationi subijcit,*

M. NICEPHORUS Kessel
Stolberga Cheruscus.

Ad diem 24. April. hor. à 7. matutinis in templo Arcis.



WITTEBERGÆ

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.
Anno M DC XXX.



TRIGÆ
CONSILIARIORUM

Serenissimi, ac Illustrissimi Electoris Saxonici
Amplissime
VIRIS

Magnificis, Perstrenuis, Nobilissimis, Consultissimis, multoq; rerum usu &
experientiâ Eminentissimis,

Dn. SIGISMUNDO ab Hagen Hereditario in Talwitz &c.
Incluti Comitatus Mansfeldici Inspectori Primario, nec non
Civitatis Sangerhusanæ Capitaneo Spectatissimo.

Dn. NICOLAO à Losi in Pölnitz Hereditario, &c. Episcopatus
Martisburgici Capitaneo Spectatissimo, & Synedrii judicialis
ibidem Assessori dignissimo atque gravissimo.

Dn. KILIANO Stößern Hæred. in Newfirchen &c. Ejusdem
Synedrii Martisburgici Assessori splendidissimo.

Domini Mæcenatibus, Promotoribus ac Patronis
suis Summis.

Ut &

Bigæ Splendidissima

Clarissimorum, Doctissimorum, ac Præstantissimorum Virorum,

Dn. M. CASPARO SCHVMANNO Inclut. Facult. Phi-
losoph. Assessori, Nationis Prutenicæ Seniori, & Collegii
Principum Majoris in Almâ Lipsiâ Collegiato.

Dn. AMBROSIO Worfstorff Martisburgensis Præsulatus
Secretario Primario.

Dn. Patronis, Promotoribus, ac Fautoribus suis
summo perè colendus

Hanc Disputationem Theologicam

Debitæ honoris ac gratitudinis ergo
& in

sui suorumq; studiorum commenda-
tionem & promotionem, D.C.

M. NICEPHORUS Kessel A. & R.



Procœmium.

Moderatorem ut & autorem omnium rerum, Deum Ter Opt. Maximum B. Bernhardus describitur, dicit Serm. 57. Eum esse longitudinem, latitudinem, & profunditatem; Longitudinem nimirum propter æternitatem, latitudinem propter charitatem, profunditatem propter sapientiam. Hac ut optimè à B. Patre prolata, sic abundè satis, cum ex quavis plurimis, & innumerabilibus suis factis & actis, cum ex Ecclesia sua electione, ubi apparet longitudo, quippe quam ab æterno sibi elegit, ejus structura, ubi latitudo, summaq; sua charitas, & deniq; admirabili ejus conservatione, ubi profunda ejus sapientia, constant atq; confirmantur. Omnium verò primum imperscrutabilis Dei sapientia pralucet in hoc salutari memorabilissimog; opere, quod ab initio statim mundi creati VERBO suo sanctissimo semper aliqua signa externa in hominum oculos incurrentia connexit, quæ hominem vel ad obedientiam, & obsequium debitum astringerent, vel hominis fidem ex verbo & promissione divinâ susceptam confirmarent. Primum enim hominem cum adhuc integer staret, nihilominus tamen ut ad reverentiam conditori suo præstandam illum affigeret, adduxit ad arborem scientia boni & mali, quam germinare fecerat in Paradiso Gen. 2. Eundem quoq; cum fraude Satana, propriâq; temeritate, Dei interdictum prævaricatus, attingendo, comedendog; vetite arboris fructus, cecidisset, restituit per promissionem illam saluberrimam de semine mulieris serpentis caput contrituro, sed & signa externa



terna verbo promissionis addidit, nempe sacrificiū pecudumq;
 maclationes: quarum vestigia satis evidentia ex pellibus o-
 vellus apparent, promissum Messiam per maclationem & mor-
 tem Patri satisfacturum, hominibus verò fide applicandum
 adumbrantibus, Gen. 3. v. 21. c. 4. v. 3. Noa, & ejus posteritati
 promissioni post diluuium facta addidit misericordissimus
 Deus arcum caelestem, Gen. 9. v. 13. Abrahamo fidem datam
 confirmavit, & obsignavit per fœdus circumcisionis, Gen. 17.
 quod omnibus successoribus suis debuisset esse $\sigma\phi\epsilon\alpha\gamma\iota\varsigma\ \tau\eta\varsigma\ \delta\iota-$
 $\nu\alpha\iota\sigma\tau\acute{o}\nu\ \eta\varsigma\ \tau\eta\varsigma\ \nu\acute{\iota}\sigma\tau\omega\varsigma$, Rom. 4. v. 11. Cui postea agnum Pascha-
 lem adumbrantem divini illius agni Salvatoris nostri Christi
 maclationem, per quam omnium salutis restitutio fieri de-
 bebat, adjunxit Exod. 12. His U. T. Sacramentis in Novo
 substituit Baptismum, & sacram Cœnam, quæ Evangelii ver-
 bo ita annexuit attextuitq;, ut hominibus fidem conferrens, ob-
 signarent, & auferent. Hec itaq; cum sint præstantissima
 dona, thesauriq; pretiosissimi apud Ecclesiam depositi, illiusq;
 fidei commissi, non inutile fore arbitramur, si generalem il-
 lorum $\Delta\iota\sigma\kappa\epsilon\iota\varsigma\ \epsilon\iota\varsigma\ \mu\epsilon\mu\epsilon\tau\epsilon\tau\epsilon\tau\alpha\ \mu\epsilon\mu\epsilon\tau\epsilon\tau\epsilon\tau\alpha$ impresen-
 tiarum, priusquam in specie de il-
 lis agatur, instituamus. Cum verò nobis non sit propositum
 de omnibus signis, quæ supra recitavimus, vel quæ recitari
 possint, sed de illis tantum, quæ in Ecclesiâ usitate & $\nu\alpha\lambda\ \epsilon\iota\varsigma\ \sigma\chi\omega\lambda\acute{\iota}\omega$
 Sacramenta appellantur, tractationem suscipere, dispe-
 scimus totam $\Delta\iota\sigma\kappa\epsilon\iota\varsigma\ \epsilon\iota\varsigma\ \mu\epsilon\mu\epsilon\tau\epsilon\tau\epsilon\tau\alpha$ (cui labori Deus allucere gratiam suam
 velit) in tria capita, quorum primum præmittet $\acute{o}\nu\omega\alpha\ \tau\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha\varsigma$
 Sacramentorum; 2. Comprehendet illorum $\acute{o}\epsilon\sigma\mu\acute{o}\nu$
 cum explicatione; 3. Deniq; subiciet eorundem $\mu\epsilon\mu\epsilon\tau\epsilon\tau\epsilon\tau\alpha$
 atq; certum verissimumq; complexum. De his singulis, ut
 bene sentiamus & loquamur Sacro Sancta ΤΡΙΑΣ animos
 & linguas regat, & ad sui laudem dirigat.

THE-



THESIS I.

Sacramentum dictum est à sacrando, quod est deducendo, consecrando; Græci *μυστήριον* vocant, licet hæc vox latior sit, & per Sacramentum non semper reddi possit aut debeat.

Ἐκθεσις.

1. Juxta Varronem lib. 4. lat. ling. Sacramenti appellatio deducta est à Sacro; Vegetium verò l. 2. de re militari, à sacrando, quod est deducendo, initiando, consecrando, ratio illi est, ut ab ornando ornamentum, à jurando juramentum, testando testamentum derivantur, sic à sacrando Sacramentum dici rectè debetur.

2. Isidorus lib. 6. Etymol. cap. 19. dicit illud à secretis virtutibus vel sacris; quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem operatur; Unde & Augustinus Sacramentum explicat per sacræ rei signum l. 10. de Civ. Dei. cap. 5.

3. Quod verò Sacramentum Latini vocant, Græcis est *μυστήριον*, ut patet ex Actis Theologorum Wirtebergensium cum Patriarchâ Constantinopolitano. Et quoties Græcam vocem *μυστήριον* latine reddere voluit Vetus interpres, præsertim ubi de rebus divinis agitur, transtulit Sacramentum, licet non sit Sacramentum propriè dictum, 1. Tim. 3. v. 16. *ὁ ἀσκήσιος μυστήριον*, Col. 1. v. 27. *μυστήριον τῆς τῆς* &c. Eph. 1. v. 9. cap. 3. v. 3. & alibi.

4. Deducunt quidam *μυστήριον* *δυνὸς τῆς μυστικῆς* quod significat sacris initiari, unde & Antistites sacrorum Mystæ dicti. A Camerario verò derivatur *δυνὸς τῆς μυστικῆς* quod est sonum reprimere, ut sit mysterium sacrum illud quod expressâ Dei revelatione indigeat.

5. Idem intendit Lat. Interpres quando Chaldæum *ܢܝܘܪܝܢܐ* quod & arcanum, secretum significat, transtulit per Sacramentum, Daniel. 2. v. 18.

6. Notandum tamen hic, neque vocem Sacramenti, neque *τῆς μυστικῆς* propriè & specificè sumi de externis illis ac visibilibus gratiæ signis, de quibus hac in disputatione acturi sumus, sed à Scriptoribus Ecclesiasticis ad eâ demum reducta esse; ut sic
verum



verum sic in hac propria significatione Sacramenti vocabulum
ἁγασθῶν esse.

Ἀντιθεσις.

Errant ergo Pontificii confirmantes vocabulum Sacramenti
in hac specialissimā etiam significatione ἁγασθῶν esse. Dicta verò
omnia, quæ proferuntur ab illis, generaliter & sic improprie
de Sacramentis agunt. Vide Bellarm. de Sacram. cap. 7. Ubi & il-
le quoque conatur probare, B. Lutherum ab initio abhorruisse ab
hoc nomine, ex eo, quod videlicet Luth. l. de Capt. Babil. c. de Matrimo-
nio dixit, Scripturam sanctam non habere nomen Sacramenti, in ea signi-
ficatione, qua noster usus. Verum quis unquam, qui modo ocu-
lis præditus, videt, ex his verbis sequi, B. Lutherum averfari
hoc vocabulum, cum affirmat, quod verissimum Sacramenti
nomen non haberi in Scripturis, rem verò ipsam hoc nomi-
ne denotatam maximè in illis comprehendi. Jesuita tantum
hæc ex maledicentia ideò producit, ut Megalandrum no-
strum erroris Cingliani & Carolstadiani coarguat, qui Sacra-
menti appellationem, quod ἁγασθῶν est, simpliciter reje-
ctam voluerunt. Sic enim lib. 1. de Vera relig. pag. 2. oper. pag. 197.
scribit Cinglius. Vocem istam Sacramenti magnopere cupiam Ger-
manis nunquam fuisse receptam, nisi Germanè esset accepta. Cum
enim hanc vocem Sacramentum audiunt, jam aliquid magnum san-
ctumq; intelligunt, quod vi sua conscientiam liberaret. Quam verò
impiam Cinglii opinionem acriter refellit Lutherus, ut patet
ex lib. contra cœlestes Proph.

THESIS II.

Vox Sacramenti accipitur quidem variè & multipli-
citer, nos verò omnia ad duo capita hic referi-
mus, ut vel politicè vel Ecclesiasticè sumi monea-
mus.

Ἐκθεσις.

I. Ob cognitionem accuratiorē Sacramenti vocabu-
li Homonymia etiam præmittenda, ubi dicimus Sacramenti
vocem



voce[m] diversam pati considerationem, melius vero us-intelligatur dispe[scimus] eam in duas partes, quarum una complectitur usum politicum, altera vero Ecclesiasticum.

2. In usu politico vox Sacramenti vicissim dupliciter consideratur. 1. in genere, vel pro quovis pignore, quod à duobus contendentibus deponeretur; ut videre est apud Cicero. lib. 1. de Orat. ubi dicit, agerem enim tecum pythagorei, quibus cum tibi iusto Sacramento contendere non liceret: Vel pro juramento quovis sive iurejurando: videatur Jus Civil. l. 12. in princ. C. de rebus creditis. l. cum iudex 11. c. de sent. & interdicitis.

3. Secundo in specie accipitur, vel pro certâ pecuniâ & pignore judiciali à litigantibus deposito in loco sacro eâ lege, ut lite finitâ victor suum rursus auferret, victus verò suum fisco publico cederet, ut id Varro. lib. 4. de ling. lat. explicat; vel pro juramento militari, quo milites finitâ lustratione certo ritu & præscriptis verbis Imperatori & suo vexillo astringebantur Veget. lib. de Re militari.

4. In usu Ecclesiastico itidem Sacramenti appellatio duplici ratione sumitur. Et quidem æquè ἑρμηνεύσθαι pro quovis mysterio, vel re arcanâ, ut videndum ex veteri translatione, Tob. 12. v. 7. Apoc. 17. v. 17. & aliis. Item pro quovis rei sacre signo, ut est apud August. l. 2. contr. lit. Petil. c. 104. Lombardum, & alios.

5. Deinde εἰδμενῶς & quam maximè propriè, ratione materiæ accipitur Sacramentum, vel partialiter, tantum pro signo seu elemento externo, quod rem cœlestem tegit, ut in Sacra Cœna pro pane & vino, quemadmodum habet D. Augustin. l. 10. de Civ. Dei, cap. 5.

6. Vel totaliter, pro toto complexu signi & signati, Rei non solum terrene, sed & cœlestis simul, ut in Sacra Cœna pro pane & vino unâ cum corpore & sanguine Christi.

7. Ratione autem forme, Sacramentum ab Ecclesiæ Doctoribus accipitur pro toto opere & ritu sacramentali, cuius administratio & requisita in verbis institutionis comprehenduntur, ubi intelligitur actio illâ solennis à Deo peculiari verbo, & mandato nobis ad applicandam & obsignandam fidem præscripta.

8. Et



8. Et in hoc sensu (ut diximus supra) Sacramenti vox est ἀρχαῖος, quæ non extat in Scriptis Canonicis, sed frequenti usurpatione Patrum, ac omnium seculorum ab orthodoxa Ecclesiâ usu receptâ fuit.

Ἀντίθεσις.

Errant hic 1. ex altera parte *Carolstadius* & alii, qui à Sacramenti appellatione toti abhorrent. Ex altera verò *Bucanus*, qui arguit Doctores Ecclesiasticos ignorantiz, quod vocabulum sacramenti simpliciter referant ad externa signa rerum sacrarum, & dicit, illud ἀνύστωσ καὶ κατὰ γενετικῶσ fieri.

Existimat enim specialiter & stricte hanc vocem referri ad signa gratiæ, quibus Deus velut obsignet beneficia suarum promissionum, & visum nos sibi quasi consecret, loc. 46. pag. 564. Verùm bonus ille vitando *Charybdin* incidit in *Scyllam*, & cum hoc quod veritati & sacris literis in omnibus consentaneum, uti probatum, negare vult, nosque ab eo retrahere, affirmat illud, quod confusionem magnam arguit. Meminisse enim debeat, 1. Signa divinæ gratiæ plura esse, quam Sacramenta exquisitè dicta. 2. Deinde signum gratiæ esse, potius pertinet ad finem & usum Sacramenti, quam ut constituat ipsam Sacramenti essentiam, ut vult *Bucanus* accuratâ suâ distinctione.

Bucano adjungimus ceteros *Sacramentarios* in defectu errantes & præ primis *Cinglium*, qui Sacramenta à nobis in Ecclesiastico usu & quidem specialissimo modo recepta, voluit esse saltem testes & notas professionis. E. g. ut toga Romanos à palliatis Græcis discernibat, sic simbolo nos à profanis discerni, cujus opinionem ut frivolum ipsemet rectè refutavit *Calvinus* lib. 4. *Instit. cap. 14. sect. 13.*

THESIS III.

Sacramentum est actio sacra & solennis divinitus instituta, quâ Deus ex immensâ bonitate & misericordiâ suâ, mediante hominis ministerio nobis per verbum certum, sub visibili & externo elemento



mento exhibet, & obſignat bona cœleſtia, ad offerendam, applicandam, & obſignandam ſingulis utentibus & credentibus promiſſionem Evangelii de gratuitâ remiſſione peccatorum propriam.

Ἐπιτεσις.

1. An Sacramenta definiri poſſint proprie, dubitaverunt quidam (ut Bellarm. l. i. cap. 10. de Sacram. in gen. de hac re habet) cum ſit vox ambigua neque in ſacra Scriptura ejus definitio reperiatur.

2. Sed huic dubitationi facile obviandum, quando dubia ratio rei prius tollitur, eaque ad certum prædicamentum refertur; deinde etiamſi non $\chi\tau\acute{o}\nu\ \rho\acute{\eta}\mu\alpha$ extat definitio Sacramentorum in Scripturis, attamen ex inductione illorum omnium eam rectè formare poſſumus.

3. Et quanquam propter diverſos reſpectus res ad varia referri poteſt prædicamenta, tamen potior ac principalior reſpectus certam rei parat ſedem in prædicamentis.

4. Propterea ſciendum hic nos non conſiderare Sacramenta in definitione *materialiter*, in ſenſu vel totali pro complexu ſigni & ſignati, ubi ad nullum directe prædicamentum pertinent; vel *partiali*, ſecundum ſuum eſſe abſolutum, prout partes Sacramenti in ſe conſiderantur; vel *relativè*, quando partes conſiderantur reſpectu ſigni & ſignati.

5. Sed nos conſideramus *formaliter* pro toto opere Sacramentali, eoq; reſpectu ponimus ea in prædicamento actionis; quod probamus ex inductione cum V. Teſt. Sacramentorum, circumciſione & agno Paſchali, tum N. T. Baptiſmo, & Cœna Domini, quæ omnia conſiſtunt in actione, tanquam in propriâ ſuâ formâ.

6. Probamus itidem ex ipſius Spiritus ſancti autoritate, qui in cujuſlibet institutione Sacramenta verbis activis, & actionem requiſitentibus deſcribit. *Ut de circumciſione, Gen. 17. v. 10. dicit: $\circ\kappa\epsilon\iota\tau\epsilon\ \mu\epsilon\tau\epsilon\ \mu\epsilon\tau\epsilon\ \mu\epsilon\tau\epsilon$ circumcidetis igitur carnem præputii.* De agno Pa-

B

ſchali



schali Exod. 12. versum 8. incipit Deus hoc verbo ^{ἔβαν} & comedent, & concludit simul eo ^{ἔβαν} cum amaritudinibus comedunto. De Baptismo ait Christus, Matth. 28. βαπτίζοντες αὐτοὺς. De S. Cœnâ, λάβετε, φάγετε, πίστε, ποιεῖτε εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀνάμνησιν, Matth. 26. v. 28. Marc. 14. v. 2. 1. Cor. 11. v. 24.

7. Tertio res ipsa per se plana est. Cum enim Sacramenta dependeant ab institutione, consistent vel in relatione vel actione. Sed relationem hic locum habere negamus exinde, quod ita tota ratio atque essentia illorum consisteret in mutua ^{ἔσθ} vel habitudine signi ad signatum, & eo modo Sacramenta darentur etiam sine actione, quæ tamen formalis eorum est ratio.

8. Nam sublatâ præputii amputatione, agni manducatione, immersione vel asperione hominis in Baptismo, & manducatione panis, viniq̄ue bibitione in S. Cœnâ, quæ sunt veræ actiones, tum neque circumcisio, neque Pascha, Baptismus, vel Cœna dici ullo modo potest.

9. Porro Sacramentum dicitur actio *sacra*, quia variantur genera actionum, ut sic restringatur hæc actio ad Ecclesiam, & distinguatur à qualibet actione civili, vel naturali, vel ludricâ.

10. Deinde quia dependet ex institutione Dei, qui nobiscum in Sacramentis agit, & ubi vicissim nobis cum Deo in illis res est; actio sacra meritò appellatur.

11. Solemnis verò dicitur ob singularem festivitatem, gravitatem atque dignitatem, quæ à nobis debitam reverentiam requirit.

^{Ἀντίθεσις.}

Contra hanc thesin graviter peccant, cum Calvinianis Papam negantes planè Sacramenta esse in predicamento actionis, & ea in relatione rejicientes, sic ut illorum proprium & exquisitum genus sit signum sive signaculum vel symbolum. Videatur ex Calvinianis Calv. in Inst. l. 4. c. 14. Catechismus Palat. Polanus in part. Theolog. &c. Ex Papanis audiamus illorum Antesignanum Martin. Becanum Tract. Nov. de Sacra. in communi c. 1. q. 2. §. 6. Ubi Sacramenta rectè & optimè definitur dicit



dicit per signum. Item Bellarm. l. 1. de Sacram. in gen. c. 11. §. 1. & 2. Verum errare illos, patet ex eo, quod 1. contra omnem *Scripturae autoritatem*, & divinam institutionem pugnant, quæ expressè vult, ut Sacramentum sit actio, genus ergo & species definita, quæ est Sacramentum, in uno prædicamento debent esse.

Deinde negat etiam hoc *evidens ratio*, quando docet 1. signum sive sigillum non pertinere ad *quidditatem Sacramenti*, sed potius ad *ejus finem & usum*. 2. Signum esse saltem *genus remotum*, illius enim denominatio partim à fine petitur, partim quod *mediantibus actionibus certo verbo & externo elemento constantibus signat*. 3. Signum & signaculum tantum esse *partem Sacramentorum*, unam videlicet terrenam cui adjuncta res cœlestis invisibilis Sacramentum propriè dictum constituit. Unde 4. & manifestè apparet *error Calvinianorum*, qui sic *principalem Sacramentorum partem excludunt*. Nam rem cœlestem, quæ principalior pars, appellant signatum, signum v. non potest esse suum signatum, quemadmodum nullum relatum est suum correlatum. Excipiunt quidem illi duplicem esse respectum Sacramentorum secundum quem concedunt, posse in diverso prædicamento esse, vel in relationis videlicet, vel actionis. Sed respondemus quod hoc quidem verum sit, Sacramenta ratione officii dici posse signa, sed quæstio hic, an illud sit proprium, & adæquatum genus, cum aliud certè sit officium rei, aliud res ipsa. Deinde alia longè ratio integri & totius Sacramenti, alia verò partium Sacramentalium respectu illius enim non solum significat Sacramentum rem spiritualem, sed etiam confert, & verè credentibus obsignat. E. g. *Baptismus ritu debito collatus, non solum significat, internam ablutionem, sed etiam efficit, applicat, & obsignat eam, fide utentibus.*

THESIS IV.

Solus Deus Sacramenta instituit, eaque verbo suo expresso Ecclesiæ suæ commendavit.

Ex Jerom.

1. Causam principalem & efficientem in nostra definitione

B 2

tionem



rione ponimus Deum, id est totam Sacrosanctam Trinitatem, utpote cujus opera omnia ad extra sunt indivisa.

2. Ut ergo Deus solus gratiam & virtutem sacramentis salutarem conferre potest; ita & solus media gratiæ instituire debet.

3. Ac proinde nulla creatura vel Angelus vel homo potest aliquid ordinare ad divinum cultum faciens, cum frustra colatur mandatis hominum, *Matt. 15. v. 9.* Neque Angelo credendum sit, si aliud Evangelium, quam quod à Christo, & Spir. sancto per Apostolos annunciatum est, proferat, *Gal. 3. v. 9.*

4. Sacramentorum verò Deus non solum est institutor, sed similiter & dispensator. Nam dispensat etiam Sacramenta quanquam ἐπιπέτως per ministros Ecclesiæ, qui salcem linguam & manus præbent. Deus verò omnia facit, ut loquitur *D. Chrysostr. Hom. 85. in Johan.* qui tamen non negat ministros etiam cum terrenis porrigere cælestia, sed fontem tantum monstrat.

5. Αὐτέως quoq; dispensavit Christus primam Coenam.

6. Unde notanda hic quæstio hæc à Sacramentariis mota, an Christus secundum humanam naturam adsit tum in institutione, tum dispensatione N. T. Sacramentorum? Quod quæ nos affirmamus, & dicimus Christum Ἰεσὺν ἁποστόλων opera mediatoris juxta utramque naturam exequi.

7. Nosramque affirmationem probamus deductione adversarii ad absurdum. Nam si Christi humanam naturam excluderetur ab institutione, & dispensatione Sacramenti: solveretur simul unio personalis divinæ & humanæ naturæ, quæ tamen in se inseparabilis, & indissolubilis.

Ἀντίθεσις.

A partibus negativis stare Calvinianos, convincitur facile ex ipsorum hypothesebus de humanam Christi naturam, ab ipsis impie erectis. Quando enim Zanchius disput. de predicatis post unionem th. 46. Sotinius in disp. Heidel. th. 51. Bucanus in Instit. pag. 25. Beza & alii passim ubiq; negant essentielles proprietates Dei Christo secundam humanam naturam datas esse, & damnant realem idiomatum, & proprietatum divinarum communicationem: Quando negant majestaticam
omni-



omnipresenciam humane Christi nature; negant certè presentiam quoque illius in institutione, & dispensatione Sacramentorum. Nam ubi non est excellentia divina, ibi non potest esse potentia instituendi Sacramenta. Quando & Christus secundum humanam Naturam tantum in uno loco est, nec ullo alio modo potest in pluribus adesse locis, certè non potest adesse dispensationi Sacramentorum, cum ea in pluribus locis fiat.

Becanus in Theol. Schol. part. 3. tract. 2. de Sacra. in com. c. 5. qu. 1. §. 1. & 2. movet questionem, an Deus etiam possit alicui homini, vel angelo communicare facultatem instituendi Sacramenta? & sibi ipsi respondet, primariam & principalem facultatem non posse Deum communicare puro homini, vel Angelo; Illam enim nihil aliud esse, quam ipsam essentiam, & potentiam divinam, quæ personæ create communicari non potest. Hunc verò suum discursum applicat ad Christum §. 2. & dicit; Eum secundum humanitatem, non propriâ & principali autoritate instituere Sacramenta novæ legis, sed delegatâ sive per commissionem. Hic si Becanus per potestatem delegatam, non aliam quàm verè divinam potestatem, quæ Christo secundum humanam naturam data est, intelligeret, assentiendum illi quidem, sed videtur latere hisce in verbis Scholasticorum, & Bellarmini erronea opinio, de quâ ag. l. 1. de Sacra. c. 23. quâ quandam excellentiæ potestatem, derivatam à divinitate, quæ sit veluti media inter divinam & humanam naturam, Christo attribuant: Et eo modo à Jesuita jure nos discedimus.

In genere verò Pontificiorum assertio hic rejicitur, quâ Papæ Romano ascribunt mutationem formæ Sacramentorum, eiq; attribuant potestatem dispensandi de ordinatione divinâ, in illisque aliquid mutandi vel potius mutilandi. Hoc est ex Papâ non Episcopum, non Apostolum, non Angelum, sed Deum facere.

THESIS V.

Deus sua Sacramenta dispensat ἐπιμέσως, per ministros suos, quos Ecclesiæ suæ ipse præfecit, qui sunt οἰκονόμοι μυστηρίων τοῦ Θεοῦ, I. Coriath. 4. v. 1. συνεργοὶ τοῦ Θεοῦ, I. Cor. 3. v. 9.

B 3

Ἐπιμέσως.



Εκθεσις.

1. Causam ministerialē accedimus, & dicimus non Angelos sed homines esse, quorum opere Deus utitur ad dispensationē Sacramentorū, ut videlicet omnibus hoc modo pateat accessus ad doctrinam cœlestem, nec quarantur rationes cœlestes, & itinera translunaria, ut *Apost. Paul. disserit Epist. Rom. 10. v. 6. ex cap. 30. v. 11. Deuter.*

2. Tales autem *cause sunt ordinariē non privati homines*; sed qui officio publico funguntur à Deo ipso instituto, videlicet ministri verbi; Sunt enim conjuncta officia ministerium verbi & administrare Sacramenta, ut apparet *ex Matth. 28. v. 9.*

3. *Extra ordinem* verò sed tantum in extremo casu necessitatis, cui lex non est posita, in Sacramento *imitationis* admittuntur ab orthodoxis etiam *personæ private.*

4. Efficacia verò & virtus Sacramentorum ut neque à pietate, neque ab impietate, sic nec ab intentione ministri dependet, sed unicè ab ordinatione divinâ.

5. Propterea hic non sunt confundenda ea, quæ ad ministri personam, ejusque qualitates pertinent, cum iis, quæ ad integritatem ipsius Sacramenti requiruntur.

6. Deus enim est & manet causa principalis actionum per ministros editarum, qui per sua Sacramenta vult esse efficax, quomodocumq; tandem ratione vitæ, ac morum comparata sit persona, quandoquidem non minister, sed *Deus est, qui baptizat in Spiritu sancto, Joh. 1. v. 33.*

Αντιθεσις.

Errant ergo *Donatistæ & ejus affecte*, qui Sacramentorum efficaciam pendere à sanctitate, & dignitate ministri arbitrantur, & propterea malos ministros verum & salutare Sacramentū administrare negabant, ut videre est *apud August. 1. 3. de Bapt. contra Donatist. cap. 4. & seqq.*

Quamquam enim objici potest, hypocritas carere Spiritu sancto, qui per ministerium efficax est, nihil tamen efficitur, quandoquidem non respicienda est persona in hac actione, sed personæ officium, quod secundum Spiritus sancti gratiam etiā malus minister exercere potest. Si quid n. valeret illorum ratio, sequē

sequeretur hoc absolum, quod nemo certus esse possit, se verum percepisse baptismum, legitimumq; Sacrae Cœnæ accipere Sacramentum. Quandoquidem utut externis modo se gerat moribus minister, potest tamen intrinsecus in corde suo esse hypocrita; id quod certò nemo hominum nosse potest, sed solius divinæ Sapientiæ est: ac proinde non dubitandum duntaxat fore de mediis salutis, sed de ipsa deniq; salute desperandum. Refutantur etiam ipsius Christi autoritate qui Judam proditorem Apostolatus officio dignatur, quem tamen fide verà vacuum esse, vel certè *ωροσκαυεγν*, benè noverat ab initio, *Joh. 6. v. 64. cap. 13. v. 10. & 11.*

2. Errant & Pontificii hîc, qui ad perfectionem Sacramenti, ministrorū intentionem necessariā esse statuunt. *Concil. Trid. Sess. 7. c. 11. Bellarm. l. 1. de Sacr. in gen. c. 27. Becanus de Sacr. in com. c. 2. qu. 3. §. 2.* Sed illis objicimus verba *S. Augustini*, qui l. 3. c. 14. contra Donatist. dicit Sacramenta confici non de fide utentis vel administrantis, sed verbis auctoris. Rationem quoq; his subjicimus, quod exinde sequeretur, salutem hominū ab arbitrio ministri dependere, majorem quoq; Sacramentorū efficaciam ab intentione ministri majori fore, quod absurdum & *ἀθεόλογον* est. Plura videantur de hac re apud *D. Chemnitium Exam. Conc. Trid. 2. part. Sess. 7. c. 11.*

Errant deniq; Calviniani hic qui negant Ecclesiæ ministros dispensare rem cœlestem, & sic duos dispensatores cōstituunt, quorum alter e. g. in Baptismo aquā adspergat hominem, alter sanguine Christi mundet eum à peccatis. Hinc duo conficiuntur Baptismi, quod est contra Scripturam quæ unum Baptismū statuit, nimirum lavacrum aquæ in verbo, *Eph. 4. v. 5.* non verò aquam solā Baptismum pronunciat. Deinde unus saltē est dispensator Deus, etiamsi non *αὐθεός* sed per ministros dispensat Sacramenta. Et deniq; errant Calviniani in eo, quod negant hominem privatū administrare debere in casu necessitatis Sacramentum initiationis, sed hac de re plura in loco de Baptismo.

THESIS VI.

Materia Sacramentorum est res certa, certo & expresso Dei verbo definita, præscripta, & ad certum usum determinata. Estq; gemina, *terrena una, altera cœlestis.*

Ex Je-



Ἐπιθεσις.

1. Ex definitione, in qua dicimus Deum nobis dispensare visibili, & externo elemento bona cœlestia, statim patet, duplicem dari rem in Sacramento; unam *Elementum externum*; quod vocamus *rem terrenam*, seu *symbolum externum*, quale in *circumcisione præputium*, in *Paschate agnus*, in *Baptismo aqua*, in *Cœna panis & vinum*.

2. Alteram, *Cœlestem*, quæ aliàs etiam *Signatum* interdum *res Sacramenti* appellatur, quæ nihil aliud est, quàm id quod certo verbo institutionis sub *symbolo externo* offertur, & exhibetur.

3. Rei hujus cœlestis per verbum ad *elementum* accessio facit *Sacramentum*, uti ex *August. Tom. 9. tr. 8. in Joh. c. 15. colligitur*, & *natura ipsa Sacramenti* per se evincit.

4. Qualis verò hæc unio, non aliunde melius quàm ex *propriâ* cujuslibet *Sacramenti* *fede*, atque *institutione* *judicari* potest, itaque ejus *explicatio* *quærenda* in *speciali* *singulorum Sacramentorum* *pertractatione*.

5. Monendum hic saltem, ut probè discernamus *locutiones*, quæ à *Scholasticis*, & *Ecclesiæ Doctoribus* *usurpantur*, & eas, quæ in *Scripturis* καὶ τὸ πρῶτον exprimuntur, ne aliquo modo in *fundamenta Biblica* *impingamus*.

6. Monendum, *Patres & Doctores rem Sacramenti* κρυπτότως nonnunquam accipere pro ipsâ *substantiâ* sive *materiâ* circa quam, vel καὶ ἐξ ὅλης pro *re cœlesti* sive *invisibili parte* *Sacramenti* *essentiali* altera, ut *August. de Catech. rud. cap. 26. Tom. 4. Lombard. l. 4. sent. dist. 10. r. c.*

7. Nonnunquam vero, ut imprimis *Augustinus ἀνύψως*, pro *usu & fructu*, de *Baptis. in Joh. hom. 26. &c.*

Ἀντιθεσις.

Erraverunt ergo olim *Fanatici illi, Pauliciani vocati* (quorum *mentionem D. Dieteric. facit in suis Inst. Catech.*) qui omnem denegabant *materiam Sacramenti*, aquam videlicet, panem, & vinum &c. & *verbis duntaxat* pro *Sacramentis* *usui* fuerunt.

Errant



Errant adhuc Calviniani, qui disjungunt materialia, & planè auferunt principalem rem in Sacramentis. Id quod satis constat ex eo, 1. quod faciunt saltem analogiam significativam, nempe per rem terrestrem significari tantum rem cœlestem. 2. Ex ipsorum definitione, in quâ excluditur res cœlestis, genus enim illius est signum sive sigillum, nullum autem signum, ut dictum satis, potest esse ipsum signatum. 3. Id clarius patet ex manducatione indignorum, qui quidem Sacramentum accipiunt, ut ipsimet Calviniani consententur, rem verò cœlestem minimè, ex qua Calvinistarum opinione indubitanter sequitur, Sacramenti materiam non posse esse rem terrestrem, & cœlestem.

THESIS VII.

Forma Sacramentorum est solennis eorum & legitima, juxta institutionem Dei dispensatio & administratio, Atque hæc pro cujuslibet Sacramenti peculiari institutione, in singulis peculiaris ac propria est.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

1. Consistit ergo ea in certâ & definitâ actione, videlicet non communi seu ἁπλοῦς consideratâ, quæ est genus definitionis, sed propriâ & εἰδικῶς acceptâ.

2. Quæ tamen ipsa variè consideratur 1. ratione formati, ubi datur actio aliqua generalis, quæ ingreditur formam Sacramenti, & illud essentialiter constituit, ut manducatio, bibitio, ablutio &c. aliqua verò ministerialis, ut sunt actus præparatorii, segregatio videlicet, mactatio, fractio.

3. Quæ hujus posterioris generis actiones non pertinent quidem ad essentialem Sacramenti constitutionem, nec tamen simpliciter excludi debent, cum præcipuè inserviant actioni principali, ad eam intendant, in eaque finem suum habeant.

4. Secundò consideratur ratione principii, & subjecti, ubi etidem duplex actio occurrit, ἄλλοις una seu dispensatio ministrari

C

nistri



nistri administrantis, & λήψις altera, sumtio hominis usurpantis.

5. λήψις verò consistit vel in mera passione hominis accipientis, ubi homo nihil facit ad administrationem vel acceptionem, ut in Sacramentis initiationis apparet.

6. Vel in *acceptione mixta*, quæ non mera passio, sed simul etiam actio est, uti videre est in cæteris Sacramentis agno Paschali & Cœnâ Dominicâ, ubi accipiendo edunt & bibunt homines.

7. Utraque verò hæc actio, cum δόσις, tum λήψις simpliciter requiritur ad formam Sacramenti, quanquam modus eorum aliquam habet libertatem, ut non ita necessarius sit.

8. Ad formam deinde Sacramentalem pertinet etiam verbum videlicet non Evangelii, sed institutionis Sacramenti.

9. Inde certò sequitur, verba institutionis Sacramentorum substantialia à neminè mutari debere, aliàs ipsa quoque forma Sacramenti tollatur.

Ἀντίθεσις.

In formâ Sacramentorum Calviniani non tantum obiscum sed & secum ipsis pugnant. Alii enim formam essentialem dicunt consistere in analogiâ significativâ sive relatione & λήψις signi ad rem signatam: Alii fidem statuunt formam Sacramenti. Plerique urgent analogiam significativam, asserentes Sacramenti formam internam ac essentialem esse pulcherrimam illam analogiam, & similitudinem signi & signati. ut Bucan. loc. 46. pag. 571. Polanus l. 1. part. Theol. pag. 225. Beza Resp. 2. ad Coll. Mompel. Trelicatus Institut. l. 2. de Sacr. in gen. part. κατὰ τὸν ἑκτόν &c. Sed his respondemus 1. primo ex Canone generali illo, quod formæ proprium est dare rei suum esse. Analogia verò significativa minimè gentium dat Sacramento propriè dicto suum esse, sed illa ipsa etiam extra Sacramentum datur: quod exemplo D. Mentzerus diss. 4. de Sacr. in gen. Tom. 2. diss. Glesse. declarat tali, dicens, quilibet cibus & potus, potest hominem pium monere de cibo & potu spiritali, neque tamen quilibet cibus & potus potest dici Sacramentum exquisitè dictum. 2. Cuiuslibet Sacramenti forma debet exprimi in ipsorum institutio-

ne;



ne; id verò cum analogiâ planè non fit, sed illa potius è diametro pugnat cum Sacramenti institutione, ita ut hæc integra & illæsa non maneat ab analogiâ Calvinianâ. Verba enim Sacramentorum institutionis expressa, clara & perspicua per illam à genuino sensu torquentur ad sensum tropicum & figuratum.

Keckermanno placuit pro formâ Sacramentorum suscipere fidem l. 3. *syst. The. c. 3.* Item *Piscatori Herb. ad dictata Hoffmanni qu. 2. cap. 16.* Sed valdè errant. Quia 1. manifestum est Sacramentorum integritatem non à qualitate sumentis, sed solius Dei instituentis pendere. 2. Fidem potius spectare ad usum Sacramenti & non ad essentiam: *facit enim non ut sit, sed ut proficiat Sacramentum.* 3. Provenit inde absurdum hoc, si fides pertineat ad substantiam Sacramenti, quod adultus hypocrita non acciperet verum Baptismum, sed ille rebaptizandus esset, quod tamen ipsi Calviniani non concedunt.

Pontificii verò Sacramentorum formam valdè mutilant, quia verba concepta, & consecrativa pro formâ illorum accipiunt, quibus occultam aliquam vim, per quam elementa externa transmutantur, affingunt. *Bellarmin. l. 1. de Sacram. in gen. c. 18. & 19.* Sed hæc absconsa sunt in sacris Scripturis, quippè cui Pontificiorum illa occulta vis planè incognita. Deinde consecratoria vel ut Paul. vocat, *1. Cor. 10. v. 16.* verba benedictionis, non dant esse Sacramentis integris, sed alteram duntaxat partem Sacramenti, rem nimirum terrenam, sive symbola Sacramentalia segregant ab omnibus aliis profanis usibus, & destinant Sacramentalia actioni ut vi divinæ institutionis, non sacrificuli murmuratione, sint organa & media, per quæ res cœlestes verè distribuantur, exhibentur, & sumuntur.

Et ob id malè acculat *Mart. Beca. in sua Theol. Schol. de Sacram. in gen. c. 1. q. 8. §. 4* Lutheranos *varietatis*, atq; dissidii in verbis Sacramentalibus. *Alios enim, inquit, recitare verba institutionis historice, alios tantum intentione consecrandi, alios nihil recitare.* Idq; probare conatur ex ipsius Chemnitii verbis, *que habet 2. part. exam. c. 1. de Sacram. Eucharist.* Verum sat frivole agit Jesuita; cum B. Chemnitius dicto in loco nullo modo recitat quorundam ex veteribus opinionem, ut eam approbaret, sed planè rejicit. Ita n. concludit disputationem suam de



hac re Chemnitius: Recitantur igitur in nostrâ Dominicâ Cœnâ, verba institutionis non tantum historicè: Sed ut Ecclesiæ restentur, Christum ipsum per verbum, juxta suum mandatum & promissionem, in actione Cœnæ adesse, & potentiâ illius verbi exhibere vescentibus suum corpus, & suum sanguinem. Ipse enim est qui distribuit, licet per ministrum, ipse est qui per hoc suum verbum efficax est &c. Quis ergo si modo bonus & sanâ mente præditus sit, non intelligit ex his Magni Theologi verbis, cum cum sanis Doctoribus rejicere historicam illam verborum institutionis recitationem, & non significativâ vel repræsentivâ, sed potius efficacem symbolorû ad usum mysticû, sive sacrum translationem affirmare. Becanus potius accusandus, qui quæst. præced. 6. ejusd. c. Veteris Testamenti Sacramenta acriter infestat, eaque pro mutis ceremoniis venditat, quando concludit §. 1. eum in modum; Sacramenta veteris legis non constabant rebus & verbis tanquam materiâ & formâ, sed solis rebus.

Cum tamen illa non fuerint mutæ ceremoniæ & simpliciter absque verbo, sed semper adjunctum habuerint verbum institutionis, de actione hac celebrandâ quod videre est, Gen. 17. v. 7. 10. Exod. 12. v. 24. Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me & vos. Quæ verba institutionis semper repetita & addita fuerunt Sacra. V. T. Tacemus circumcisionis benedictionem veterem, quam Rabini recitant hoc sensu: Deus vivus pars nostra, & protector noster præcepit serui animam nostram ab inferis, propter fœdus suum, quod posuit in carne nostra. Leg. Chemnit. cap. 9. Harm.

THESIS IX.

Finis Sacramentorum communiter statuitur atq; datur duplex; *Principalis* unus, alter *minus principalis*.

”EUFONIUS.

1. *Principalem* considerant orthodoxi primò generaliter ubi sub se comprehendit 1. gratiæ divinæ oblationem; Deus enim offert per Sacramenta omnibus, & singulis hominibus eis utentibus suam gratiam.

2. Gra-



2. *Gratiæ eiusdem collationem & applicationem.* Habent enim Sacramenta vim salvandi & justificandi, 1. Pet. 3. v. 21. Gen. 17. Tit. 3. v. 5.

3. *Fidei excitationem, & productionem.* Nam Evangelium & Sacramenta hoc respectu unum & eundem effectum habent, quod sunt gratiæ divinæ ὀχήματα & vehicula, & vinculum, quo Deo uniamur erepti e regno Satanæ & naturæ perverſitati. Cum verò Evangelium & organon ſit ad excitandam fidem Rom. 10. idem ſunt quoque Sacramenta.

4. *Gratiæ divinæ fideiꝝ confirmationem, & obſignationem.* Sunt enim ſignacula obſignationis, teſtimonia & quaſi pignora divinæ erga nos gratiæ, Rom. 4. v. 11. σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, 1. Pet. 3. v. 2. ἐπιρωτήματα ſive ſtipulatio bonæ conſcientiæ, 1. J. oh. 5. v. 8. μαρτυρία gratiæ divinæ.

5. *Specialiter verò ſi Sacramentorum finem principalem conſiderare vis, debes eum ex propriâ inſtitutione cujuſlibet Sacramenti petere; e. g. quod per circumciſionem Jndei recepti ſint in ſædus Dei; Quod nos per Baptiſmum regeneremur: Quæ de re fuſius in diſp. de Sacr. in ſpecie agentibus.*

6. *Principali huic fini ſubſtituitur minus principalis, & ſecundarius, qui itidem varius eſt. 1. Sacramenta ſunt nervi publicorum congreſſuum, ſunt 2. Note & ſymbola confeſſionis Eccleſiæ Dei, quibus ab aliis cœtibus diſtinguitur. 3. Sunt quædam hominum cum Deo ſeſe obſtringentiũ oppignorations. 4. Item typi & ſimulacra quæpiam virtutum, dilectionis, concordiæ, & plures ſimiles ac ſpecialiores, quos removemus ad ſpeciale Sacramentorum conſiderationem.*

Ἀντίθεσις.

Errant circa finem principalem Calviniani, Stenckfeldiani, & Anabaptiſtæ, qui Sacramenta tantum externa ſigna, quæ veram Eccleſiam à falſâ diſcernant, eſſe blaterant. Zving. l. de ver. & falſ. Relig. Econtra verò negant, ea eſſe organa & media, quæ divinam gratiam utentibus conferant. Ut Calvin. Inſt. l. 4. c. 14. & 15. Piſcator in Germanicis ſuis Bibliis cap. 7. Actor. Beza pag. 2. Reſp. ad Coll. Mompel.



Mompel. & alii plures hoc testantur. Principale, & in cerebro eorum firmissimum argumentum, quod ad stabiliendam suam opinionem producant est tale. *Quod in solo Deo est; id alio non attribuendum. At efficacia salvandi in solo Deo est. E. non Sacramentis attribuenda.*

Nos limitamus majorem ita; quod soli Deo tanquam causæ efficienti & principali competit, id nulli alii rei tanquam causæ principali & efficienti attribuendum: Respondemus ergo Deum solum operari nostram salutem, ut *causam quidem efficieniem principalem*, sed tamen id non facere immediate, sed per Sacramenta, quibus ascribitur efficacia salutis tanquam causæ instrumentali, quæ nullo modo pugnat cum efficienti, sed ei saltem est supposita & subordinata. Quando ergo nos Sacramentis attribuamus efficaciam nostræ salutis, id facimus *non quod efficiens, sed quod instrumentalis causa sint.*

Pontificii verò circa *finem principalem* errant in excessu: statuunt enim gratiam divinam in Sacramentis contineri veluti qualitatem aliquam divinitus elemento inditâ & absolute inhaerentem, ideoque *conferre gratiam ex opere operato*, hoc est, *ex vi ipsius actionis à Deo ad hoc instituta, non ex fide suscipientis, nec fieri posse, ut Sacramenta operentur per solum motum impressum à Deo, sine ullâ qualitate activâ, ut apparet ex Can. Conc. Frid. 8. sess. 7. Ejusq. defensoribus Bellarmino videlicet lib. 2. de Sacrament. cap. 3. & seqq. Becano Tr. de Sacram. in com. cap. 3. quest. 4. §. 4.* Verum hanc opinionem falsam esse dicimus, cum eâ *fides* ex Sacramentorum effectu planè excluditur, quam tamen ipsam ad salutarem usum S. Scriptura semper requirit. *Marc. 16. v. 16. Act. 2 v. 38. 1. Cor. 11. v. 28. Rom. 14. v. 23.* Videntur quidem Jesuitæ concedere fidem, & excludere barbaro illo vocabulo, opere operato nimirum, meritum saltem dispensatoris & suscipientis, attamen observandum benè, illos non intelligere fiducialem illam apprehensionem promissionis Evangelicæ in Sacramentis nobis obsignatæ, sed fidem, tantummodo historicam, assensum generalem, non instrumentaliter sed præparatoriè, & meritoriè justificantem, uti id satis demonstratur à Chemnitio in *Exam. Can. 8.*

Circa effectum *minus principalem* errant itidem Pontificii, quod



quod volunt Sacramentis, confirmatione, & ordine, (quæ duo tamen in Sacramentorum censu ponenda esse nondum probarunt) & simul Baptismo, imprimi Characterem, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelibile, unde ea iterari non possunt. *Conc. Trid. c. 9. s. 7. quod Becanus defendit c. 4. quæst. 1. de Sacram. in com.* Ubi simul mendacio arguit Jesuita B. Chemnitium, asserentem in Exam. dicti Canonis, Characterem Pontificiorum neque autoritate Scripturæ pendere, neque autoritate S. Patrum, sed illum esse excogitatum ab Innocentio III. Verum Respondemus, Chemnitium dicto in loco non agere simpliciter ex suâ sententiâ, sed refutare opinionem Pontificiorum ut falsam; ex ipsius *Gabriels Biells* verbus dicentem l. 4. sent. dist. 42. Characterem esse ponendum, nec ratio necessaria, nec evidens autoritas (Scripturæ & Patrum) probat &c. ut pluribus satis evidenter apparet ex ipso Chemnitio. Ad dicta verò quod atinet quibus Becanus §. 4. d. l. cum Bellarmino Characterem talem probare vult; nim. *1. Cor. 1. v. 21. Eph. 1. v. 13. cap. 4. v. 30. Respond.* Ea loqui de Spiritu sancto, qui datur credentibus non de Characterem, ille enim est unctio, docens nos & reddens *quod dicitur* *1. Joh. 2. v. 20. & 27. Esa. 54. v. 13.* Neque ratio illa, quod Baptismus non potest repeti aliquid valet ad probationem. Scimus quidem quod Baptismus per hoc adjunctum distinguatur à S. Cœna, videlicet quod ille semel tantum, hæc autem sæpius eidem homini administratur: Sed causa istius rei non est Character Pontificius, sed potius divina institutio propriaque Sacramenti natura, & finis.

THESIS X.

Solis autem hominibus, & quidem viventibus Sacramenta dispensanda sunt.

Ex *Græc.*

1. Considerandum etiam nobis venit *objectum* cui, vel potius *objectum*, cum hujus quoque ratio habenda sit, in administratione Sacramentorum.

2. Ratione itaque *quidditatis* si consideratur illud, sunt soli homines, & quidem viventes. Omnia n. ea quæ essentialiter ad integritatem Sacramentorum pertinent, ita sunt comparata, ut nulli alii rei nisi hominibus, iisq; viventibus conveniant.

3. Ra-



3. Ratione *quantitatis*, sunt soli Ecclesiæ Cives.

4. *Qualitatis*, ut circumcisio in V. T. ordinariè quidem Judæis, & tantum masculis, extraordinariè verò profelytis quoque dispensata fuit; In N. T. Baptismus ordinariè Solis Christianorum infantibus, tam masculis quam fœminis. Extraordinem verò adultis, qui fidem suam confitentur, & infantibus aliis, qui in Christianorum provenerunt potestatem.

5. Ad agnum verò Paschalem ut nemo, nisi circumcissus, admittebatur, sic ad S. Cœnæ usum nemo, nisi baptizatus permittitur.

Avrijsic.

Perstringi hic debent *pontificii* quod non solum homines, sed etiam campanas baptizant, uti patet ex centum gravaminibus coràm Legato Pontificio in Comitibus Noriberge An. 1522. oblati. Vide ritum baptismatis campanarum, quem describit satis abundè Calderinus in tract. de interd. pag. 1. num. 97. Et Pontificale Romanum.

Errant 2. Corinthiani, Montaniste, & Cataphryges, qui statuunt etiam mortuos esse baptizandos ut Epiphanius. l. 2. Tom. 2. heres. 28. habet.

Item ipsi Papani graviter peccant, quando Sacram Cœnam pro mortuis celebrant.

Castigandi sunt & illi qui saltem masculos baptizandos esse disputare audent, Diabolico prorsus sacrilegio: *Quamquam obijciunt Baptismum successisse in locum circumcisionis, nihil tamen efficiunt.* Nam ratio institutionis circumcisionis longè aliâ est, quàm Baptismi. Illa solos masculos expressis verbis nominat, hæc verò omnes homines, uti testatur Paul. Gal. 3. v. 28.

THESIS XI.

Sacramenta sunt necessaria cum quia instituta sunt à Deo, tum quia sunt organa salutis, & fidei excitandæ atque confirmandæ, Job. 3. Marc. 1. v. 4. Tit. 3. v. 5. Rom. 4. v. 11.

Ex Jæsic.

1. Gratiâ Dei non alligatam esse Sacramentis, ut rectè dicit



dicit Lombardus, sic quoque dicimus Sacramenta non absolute necessaria esse, quasi nemo simpliciter possit salvari, nisi qui usus fuerit Sacramentis.

2. Nam Deus etiam extraordinariè, & immediatè potest fidem in hominibus ad salutem consequendam excitare, ut restantur exempla infantum, qui jussu Pharaonis in Ægypto occisi, Exod. i. v. 22. Eorum qui in deserto per 40. annos mortui absque circumcissione, Joh. 5. Latronis in cruce & aliorum, qui ante Baptismum, in verâ tamen fide mortui.

3. Esse tamen necessaria Sacramenta necessitate ordinariâ, & conditionatâ, nimirum ratione institutionis divinæ, secundum quam debent esse salutis & fidei excitandæ, atque obsequandæ organa, id satis firmum est.

4. Nullo modo autem negligenda sunt, quandoquidem secundum orthodoxorum regulam, non equidem privatio, sed contemptus tamen Sacramentorum damnat hominem.

5. Habemus enim severam illam comminationem de Baptismo, à Christo nobis relictam; Amen amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non potest ingredi in regnum celorum. De Cœna expressum extat mandatum: hoc facite in mei commemorationem.

Ἀντίθεσις.

Damnantur ergo Fanatici & Profani illi homines, qui sentiunt, impioque ore clamitant, superfluum, & non necessarium esse usum Sacramentorum. Argumentum eorum præcipuum huc tendit: Quicquid fit per pauca, non debet fieri per plura. Verbo autem Dei omnia inveniuntur ac apprehenduntur, quæ ad salutem sunt necessaria: Ergo non opus est alio medio, videlicet Sacramentis. Nos respondemus, si argumentum rectè formetur, primo ad majorem, limitando eam: Quicquid invenitur ac apprehenditur perfecte, ac unice in verbo Dei, illud non opus habet ut quæratur in Sacramentis; Et sic negamus minorem, quanquam concedimus per verbum fidem nobis conferri, sed non perfecte, unice atque omnimodò. Quandoquidem & verbum Dei simul requirit in verè credentibus usum Sacramentorum, illo verò neglecto,

D

non



non potest fides esse perfecta : quia talis homo eo ipso, quando negligit Sacramenta, peccat, & sic fidem antea susceptam per verbum amittit. Deinde est etiam *ambiguitas* in voce verbi Dei, dicitur enim illud *generaliter* cum de verbo Evangelii, tum de visibili & Sacramentali. Et si eo modo accipiatur in argumento concedendum secundum quid, quod omnia quæ ad salutem necessaria comprehendantur in eo. Deinde verò sumitur *specialiter* de verbo Evangelii, & ea ratione negamus minorem.

THESIS XII.

Sacramenta alia sunt Veteris alia Novi Testamenti. Veteris propriè sunt duo tantum: *Circumcisio nimirum, & agnus Paschalis.*

Expositio.

i. Perspectâ definitione, & essentiâ Sacramentorum, progrediendum ad *tertium* disputationis nostræ *caput*, quod continet in se divisionem illorum.

2. Sed ut diximus sciendum nos non loqui hic de Sacramentis analogicis ac temporariis, uti fuerunt arca in diluvio, transitus per mare rubrum, eruptio aquæ à petra deserti, elus manna, ros in vellere &c. Sed de Sacramentis *na'* ἐξ ὧν λέγεται & propriè ita dictis, quæ ita dividimus in Sacramenta Veteris & Novi Testamenti.

3. Veteris Testamenti fuerunt illa, quæ instituta celebrataq; sunt ante Christi in carnem adventum, quæque eundem cum omnibus suis beneficiis significarunt, & adumbrarunt, *Hebr. 10. v. 1. Col. 1. v. 17.* Ea sunt duo: *Circumcisio & agnus Paschalis.*

4. *Circumcisio* fuit instituta *An. Mundi 2048.* juxta *Bucholtzerum, & Lutherum*, & à Deo Abrahamæ & posteris ejus mandata, ut cujuslibet puelli è familiâ Abrahami 8. à nativitate die, vel etiâ maris adulti, ad hanc familiam transeantis, & Judaicam religionem profitentis, præputium amputaretur, ut apparet *ex Gen. 17. capite.*

5. *Pascha* sive *agni Paschalis epulum* primùm institutum fuit, juxta *Chronologum* illum *A. M. 2454.* ante Christi Natum *1517.* & Dei præcepto in *Ægypto* celebratum ab *Israelitis*, postea
verò



verò semper decimâ quartâ die primi mensis Nisan in memoriam admirandæ liberationis Ægyptiæ, ad applicandam & obfignandam promissionem de spirituali liberatione per Christum præstandâ, usq; ad adventum ejus administratû, *Exod. c. 12.*

6. Et hæc duo dicimus esse propriè dicta Sacramenta in Veteri Testamento, quia sola illa constant verbo & elemento ad actionem Sacramentalem requisito.

7. Verbum est vel institutionis, habens videlicet mandatum divinum de actione hac celebranda, & cōtinuanda quod constat, *Gen. 17. v. 18. Exod. 12.*

8. Vel promissionis, gratiæ puta divini, de remissione peccatorum & salute æterna propter Christum ut de Circumcisione patet ex *Gen. 22. v. 18. c. 17. v. 7. Gal. 3. v. 16. de Agno Paschali, quia erat typus veri agni Christi pro hominibus immolandi uti Paulus testatur 1. Cor. 5. vers. 7.*

9. Elementum seu symbolum externum in circumcissione erat caro præputii, *Gen. 17. v. 11.* In Pascha, agnus anniculus & immaculatus mactatus, assatus, & cum azymis, & lactucis falsis manducatus.

10. Hæc itaque Sacramenta, cum durare debuerint in generationibus Abrahamæ usque ad tempus Christi, *Genes. 17. & Exod. 12. v. 25.* fuerintque typi Christi promissi Messiæ, propterea adveniente illo debuerunt abrogari, *Col. 2. v. 17. Eph. 5. v. 2.* Etiam in N. T. eorum usus est sublatus & abrogatus, corpore ipso his umbris succedente.

Ἀπίστες.

Errant propterea *Judæi, Turcæ, Arabes*, qui etiamnum circumcissionem adhibent.

Errant *Cerinthiani & Pseudo Apostoli*, qui carne circumcidi, atq; alia hujusmodi legis præcepta servari oportere pugnant, *August. de heres. ad quod vult Deum c. 8.* Item *Ebionitæ*, de quibus *Ephianus her. 30.* *Samosatenus* de quo *Philastrus in Catech. heres. 64.* habet. *Nazarenæ* qui habuerunt circumcissionem *Judæorum*, & Baptismum Christianorum. Item *Æthiopes Christiani*, qui adhuc hodiè itidem more *Judæorum* infantes octavo die circumcidunt, & Christiano tamen Baptismo tingendos putant.

D 2

Errant



Errant & *Judæi* pertinaces, qui adhuc concurrunt ad Paschâ celebrandum.

THESIS XIII.

Sacramenta N. T. sunt ab ipso Christo instituta, quæ ipsum exhibitum testantur, & præsentem offerunt, quæque duratura sunt usque ad finem mundi. Ea propriè ita dicta sunt BAPTISMUS & COENA DOMINI.

Ἐκθεσις.

1. Conveniunt quidem Sacramenta utriusque Testamenti in multis, ut 1. in appellatione. 2. Genere proximo. 3. Causa efficiente. 4. Materia & formâ genericâ, 5. Fine generali & 6. effectu & usu.

2. Differunt verò & præprimis in *materia propriâ*: Terrena enim sive symbolum externum non idem est in omnibus Sacramentis, sed in singulis peculiare & distinctum: Cœlestis autem in V. T. Christus substantiali profuso sanguine erat adumbratus, in N. T. exhibitus & ipse præsentissimus.

3. Deinde *forma specifica* quæ itidem alia atque alia in singulis Sacramentis, ut liquet ex propriâ cujusque institutione.

4. Et denique *objecto proprio*; veteris enim umbram habebant, & figuras atque significationes Christi suo tempore exhibendi. Novi verò habent umbrarum, figurarumque in Christo jam exhibitio perfectionem & complementum, ut Apost. Coloss. 2. v. 16. Epist. Heb. 10. v. 11. Matth. 26. v. 28.

5. Ex his sequitur aliam esse substantiam Sacramentorum V. T. aliam verò N. T. cum ea diversam habeant & materiam, & formam, atque objectum.

Ἀντιθεσις.

Calviniani itaque hic errant, quod affirmant Sacramenta utriusque Testamenti, quo ad substantiam, planè eadem esse. Confirmare quidem suam opinionem conantur dicto Pauli, 1. Cor. 10. v. 3. & 4.

PATRES



Patres nostri eandem escam manducaverunt &c. Sed Respondemus, Apostolum collationem ibidem non facere cum patribus, qui in deserto vixerunt, & nobiscum, ut quidem *Beza* & *Bucanus* male illius verba intelligunt, sed facit collationem saltem inter Israelitas, & de illis affirmat dicto loco quod omnes absque ullo discrimine, tam impii quam pii, tam increduli, quam credentes eandem mannam comederint, & eandem aquam e petra biberint, uti hoc clarissime patet ex accurata textus tam antecedentis quam consequentis collatione. Quin & ipse *Oecolampadius* in suo commentario supra hunc locum verum hanc sententiam agnoscit.

THESIS XIV.

Duo saltem N.T. Sacramenta esse affirmamus constanter, & e contra simpliciter negamus atque improbamus omnia alia, quæ humanæ sunt adinventionis.

Ex Jois.

1. Pia antiquitas numerum binarium allegavit ex historia passionis Christi, ubi ex latere Salvatoris nostri crucifixi aqua, & sanguis effluxit, & aquam ascribit Baptismo, sanguinem S. Cœnæ, ut est apud August. in 19. caput Johannis.

2. Sed firmiorem probationem habemus ex definitione Sacramentorum. Omnia, quibuscunque hæc exactè non competit, vel quæ ad hanc definitionem referri non possunt, illa sunt ex numero Sacramentorum *κατ' ἐξοχὴν* dictorum, sepōnenda.

3. Confirmatur etiam à quibusdā ex dicto illo, *Joh. 5. v. 8.* ubi tres dicuntur testes in terris, Spiritus, aqua, & sanguis, & Spiritui ascribunt ministerium, aquæ Baptismum, & sanguini S. Cœnam.

4. Nec est quod objiciant hic nobis, Apologiam confessionis nostræ Augustanæ, quæ art. 13. Absolutionem numerat inter Sacramenta,



5. Distinguendum enim est hic inter *generalem*, & *specialem* Sacramentorum acceptionem. Quoad *priorem*, Absolutionem esse Sacramentum nos ipsimet concedimus, quando videlicet respicimus finem generalem, quam absolutio communem habet cum Sacramentis propriè dictis. Nam sigillatim ut in Sacramentis cuilibet confitenti remissio peccatorum per absolutionem communicatur.

6. Deinde habet absolutio etiam convenientiam aliquam cum Sacramentis, quatenus est actio ministerii Evangelici, quæ habet mandatum Dei, additamque promissionem gratiæ, uti apparet ex Matt. cap. 18. & eo modo accipitur ab Apologiâ nostra.

7. Sed quoad *posteriorem* considerationem, negamus omnimodò Absolutionem esse Sacramentum exquiritè dictû; nam destinata est omni externo symbolo.

8. Et quanquam sunt qui impositionem manuum huc referre velint, fit tamen hoc nimis inconvenienter, cum ea destituitur omni mandato expresso, & verbo institutionis atque promissionis.

Avli Jests .

Rejicitur hic *numerus Pontificiorum septenarius*, quippe qui divinæ scripturæ è diametro contrarius est. Argumenta, quæ Becanus quidem in recensedito tractatu *de Sacramentis cap. vide licet 6. q. 1. S. 4.* ad stabiliendum numerum istum producit, non sunt nova, sed Bellarmini & aliorum Veterum Pontificiorum nugamenta, quæ longè antè ab orthodoxis satis superque explosa sunt. 1. enim destitutus Scripturæ dictis ponit *congruentias*, ut sunt *similitudo vite corporalis, & spiritualis, ubi 7. sunt requisita; 7. peccata, & effectus qui sequuntur ex peccatis; septem virtutes &c.* At si his probari possint Pontificii Sacramenta sua septem, posset & alius, cum dantur & congruentiæ in Scripturis quæ numero vel minori vel majori constant, non duo, non septem, sed de cetero, & plura Sacramenta numerare, & quidem longè faciliore ratione quam Pontificii faciunt, & sic nulla certitudo, nulla
foli-



soliditas in æternum, quoad hunc fidei articulum in Ecclesiã
efficit. 2. Adducit *celebritatem Numeri septenarii* in expiationibus
solitis in T. Veteri. Ubi 7. *quinnalia*, vel *septies aspergi sanguis debuis-*
set, Exod. 19. Levit. 14. Num. 19. &c. *Naëman Septies jussus est lavari ad*
purgandum lepram &c. Sed nos respondemus, & hoc nihil facere
ad confirmationem illorum opinionis quandoquidem nume-
rus, ut nullam operandi, sic nullam probandi quoque effica-
ciam habet; Et inprimis à numero unius rei ad numerum al-
terius nulla valet consequentia, cum res sunt diversæ, & à se
invicem planè alienæ. Sunt autem Sacramenta quibus com-
plent numerum suum septenarium quinque: *Confirmatio, Peni-*
tentia, Extrema unctio, Ordo Pontificius, & Matrimonium.

1. *Confirmatio* constat *chrismate*, ex commixtione olivæ
& balsami, certis consecrationibus ab Episcopo præparato &
quod pollice Episcopi in fronte baptizati ad aliquam ætatem
profecti, crucis formã certis verbis & gestibus adpingitur: Per
quem ritum statuunt Spiritum S. è vestigio confirmato dari,
qui eum anima & corpore perficiat, & adversus omnes hostes
vires suppeditet.

2. *Penitentia*, cujus materiam faciunt actus in homine
lapso, ut 1. Contritionem cordis, 2. Confessionem oris & 3. sa-
tisfactionem operis, his si accedat absolutio Sacerdotalis, so-
mnia constare sibi Sacramentum.

3. *Extrema unctio*, quæ *Canisio* est signum sacrum in conse-
crato oleo institutum, ut per illud cœlestis virtus ad salutem,
non animæ solum, sed & corporis applicetur ægrotis, ex divi-
na institutione.

4. *Ordo Pontificius*, est Sacramentum, quo singularis gra-
tia & potestas spiritualis quibusdam traditur, ut munus in Ec-
clesia ex professò gerant.

5. Deniq; est *Matrimonium*. Quæ quinque omnia saltem
supplementa & signa Pontificia. Cum 1. nullum auctori-
tatis Sacramentalis habeant fundamentum in Scripturis. 2. De-
stituuntur visibili elemento expressè à Deo mandato. 3. Carent
autoritate Apostolicæ Ecclesiæ. 4. Orthodoxorum Conciliorũ
& 5.

& s. Orthodoxorum Patrum. Imò ipsimet Pontificiorum Doctores quàm plurimè ea non approbant.

Nam confirmationè quod attinet, illa neq; quoad materiã, neq; quoad formã instituta est à Deo, multo minus de effectibus spiritualibus, quæ eidem ascribuntur, ullam habet promissionè. *Quaquam autem præ se ferunt imitationem Veteris & Novi Testamenti. Veteris nimirum, ex unctiõne Aaronis, quam Deus præcepit, Exod. 29. & 30. Novi impositionem manuum Apostolorum, quã miracula ediderunt, donaq; Spiritus s. contulerunt. Nihil tamen faciunt ea ad institutionè veri Sacramenti. Nam nulla convenientia eorum rituum cum vanitatibus Pontificiis, sive chrismaris materiã & consecutionem, sive usum eorum aspiciamus. Deinde nulla similitudo est cum histrionicã actione Pontificiorum, & cum ritu illo manuum impositionis Apostolico. Nam Apostolorum facta per impositionem in caput, Pontificiorum fit per alapæ institutionem. Nisi persuadere nobis velint impositionem manuum & alapæ impunctionem unum & idem esse.*

Pœnitentia an sit Sacramentum in c. 7. s. 1. satis dictum.

Unctio verò extrema probatur ab illis ex Marc. 6. cap. ubi scribitur de discipulis & Apostolis Christi: Egressi prædicabant pœnitentiam, & demonia multa eiciebant, ungebantq; multos ægros. Huic verò loco addunt textum Jacobi cap. 5. v. 14. ubi præcipit Apostolus ungi ægros, non verò ut moriantur, quò sanè differunt suam unctiõnem Pontificiis, sed ut miraculosè sanitati restituantur. Resp. Ergo 1. ad Exemplum Apostolorum, illi quidem adhibuerunt unctiõnem pro externo symbolo doni sanationis in Ecclesiã primitivã, cum ea adhuc esset constituenda. Verùm illud donum sanandi cum saltem temporale fuerit, jamq; defierit, manifestum etiam est, usum unctiõnis ægrotorum temporarium fuisse, & proinde neque ab Ecclesiã adhibendum, multo minus pro Sacramento venditandum. 2. Quod attinet mandatum Jacobi si maxime ponamus, quaquam non concedimus, Jacobi verba aliquid facere ad hanc rem, nulla tamen est convenientia inter unctiõnem à Jacobo præceptam & κακοήλιαν Papiisticam. Jacobus enim expressè vult infirmos ungi, & quidem ad sanitatem,



tem, Pontificii verò non infirmos, sed semimortuos quum jam de valetudine desperatum, vel, uti loquuntur, cum ipsi in extremis versantur, sua unctione dimitunt. *Jacobus* vult infirmum ungi à senioribus Ecclesiæ, Pontificii ad unctionem neminem admittunt nisi sacrificulum. *Jacobus* oleum non vult tale, quod ab Episcopo superstiosè consecratum multoq̃ vano murmure quasi excantatum. *Jacobus* dicit non unctione deleri peccata infirmi, sed orationibus, quibus afflctus frater Deo commendatus fuerit, Pontificii verò per suam sacram unctionem, peccata remitti non sine injuria in Sacramenta vera, & fidem CHRISTI fallaciter comminiscuntur.

Sic ordo Pontificius à Becano frivole probatur, argumento in forma quidem specioso, sed qui cultello veritatis facile dissecatur:

Quod constat certo Elemento externo sive ritu, & est institutum atq̃ mandatum à Deo, & quod habet promissiones gratiæ, illud est Sacramentum, & quidem propriè dictum. At ordo Pontificius, ut ille vult, constat elemento certo externo atq̃ ritu, certà constitutione atq̃ mandato divino, habetq̃ promissiones gratiæ. Ergo est Sacramentum καὶ ἔξωθεν & propriè ita dictum.

Major, quia est ex definitione Sacramentorum propriè dictorum desumpta, negari non potest. Minorem verò probat *Jesuita*:

1. Quoad symbolum externum, adest impositio manuum ab Apostolis facta, discipulos & Diaconos constituentibus, Act. 6. v. 6. c. 13. v. 6. c. 14. v. 22. 1. Tim. 4. v. 4. 2. Tim. 1. v. 6.

2. Mandatum divinum desumitur ex Act. 13. v. 2. cap. 20. v. 28. Eph. 4. v. 11.

3. Promissiones verò gratiæ, per quam idonei redduntur ad obeundum ministerium ordinati, probat ex 1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 6.

Resp. Ergo ad minorem 1. ab institutione ministerii Ecclesiastici ad institutionem Sacramentorum non valere consequentiam. Quanquam enim concedendum, legitimam vocationem, ejusq̃ publicam declarationem atque approbationem, habere mandatum in Scripturis, habere etiam hanc

E

pro-



promissionem, quod Deus legitimè vocatos donis ad ministerium necessariis velit ornare, velit efficax esse per ministerium hoc ad salutem omni credenti; habere etiam ritum *χρησθῆναι* ab Apostolis receptum: tamen negamus esse Sacramentum *ἡ αὐτὴ ἐξ ὧν* sic dictum uti Baptismus & Coena Domini.

Primo, quia ritus ille qui ab Apostolis adhibitus, & à nobis quoque usurpatur (qui Pontificis externum Elementum est) caret expresso mandato Dei, quod tamen omni ex parte requiritur in Sacramentis propriè sumtis, quæ nimirum tale Elementum postulant, quod solenni mandato à Christo est institutum. Ritus verò ille Apostolicus per impositionem manuum celebratus, illis liber erat, non enim à Filio Dei institutus, & expressè mandatus sicut de aquâ in Baptismo, de pane & vino in Eucharistiâ constat.

Secundò; Distinguendum inter promissionem Evangelicam, quæ est de gratuita remissione peccatorum, quæq; omnibus hominibus per Sacramenta communicatur, & promissionem efficaciam ministerii. Et hæc directa est non ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ad esse Sacramentorum, sed ad bene esse, quandoquidem per ministerium Sacramenta porriguntur, & administrantur credentibus ad salutem.

Deinde promissio illa potius officium & ordinationem, quam personam ordinatam spectat. Non enim illa per ipsam ordinationem tanquam organon divinitus ad hoc institutum perducitur ad salutem, nullo modo; Constat enim multos accipere ministerium quod efficax est in aliis credentibus, cum ipsi qui exercent Evangelium, sint filii iræ. *Tacemus*, quod requiratur etiam ad Sacramenta propriè dicta ut sint communia omnibus Ecclesiæ membris, id quod nec in ordine fit, nec matrimonio. Est itaque ordo Pontificius potius inventum Sylvestri Papæ, ut test. Virgil. l. 5. c. 3. de Inventi. p. 392. quam institutum CHRISTI. Addimus quod hac ratione Pontificii non septem constituunt, sed tredecim Sacramenta. Faciunt enim 1. Septem ordines. *Ostiiarios, Lectores, Exorcistas, Acoluthos, Subdiaconos, Diaconos, Sacerdotes.* 2. In singulis requirunt atque adhi-



adhibent ritus diversos, atque ceremonias speciales, 3. Diver-
sas quoque cuilibet tribuunt gratias. Igitur ordo Pontificius
non unum sed septem Sacramenta constituet, additis reliquis
sex numerus exurgit Sacramentorum tredecim.


Denique Matrimonium, ut & illud in numero Sacramen-
torum conservet, probat id Jesuita auctoritate Apostoli Pauli
qui dicit, *Ephes. 5. v. 33. de Conjugio, quod sit Sacramentum magnum.*
Respondemus ergo usurpari hoc loco vocabulum τὸ μυστήριον
quod vulgata versio per Sacramentum explicat; sed proterea
non est Sacramentum κατὰ ἐξοχὴν dictum. Nam Paulus vult
mysterium magnum esse, hoc est, humanæ rationi ignotum,
quod Christus & Ecclesia arctissime spiritualiter conjungan-
tur, cujus conjunctionis typus & figura matrimonium sit. Non
autem sequitur ex hoc, quod velit Matrimonium Sacramentū
esse in propria definitione. Propterea nihil hic efficit Jesui-
ta. Multo minus momenti habet ad formandum Sacramen-
tum ex Matrimonio, quando Jesuita dicit conjugium habere promif-
siones gratiæ, nimirum fidelitatem, dilectionem, sanctificationem & so-
brietatem, *c. 44. de Sacra. in spec. q. 4. S. 3. Idq. probat ex 1. Tim. 2. v 15.*
salva tamen fiet per generationem liberorum, si manserit in fide, dilectione,
& sanctificatione cum castitate. Verū quis non intelligit hæc sat
frivolè producta esse? Paulus hoc loco auferens mulieribus
munus docendi in Ecclesiâ propter causas varias ibidem addu-
ctas, docet simul quæ sit vera & legitima earum vocatio, nimi-
rum ut labores & molestias partus, & educationem libero-
rum sustineant, & in eâ vocatione pias matronas, per FIDEM
(*propter Christum videlicet*) etiam salutem consequi, est itaque
consolatio, quam Apostolus addit propriis mulieribus, ut sci-
ant etiam si Eva seducta fuisset in prævaricatione, se illas non
repellere à regno cœlorum, sed esse simul hæredes regni Dei, &
vitæ æternæ, si nimirum in verâ pietate perseveraverint: &
hoc agant, ne modestiæ Christianæ fines transiliant. Non ergo
promittuntur istæ virtutes mulieribus, ut Becanus vult, sed requiruntur
ab eis ut fidei testimonia. Et tantum de generali Sacramentorum

Agoné &

DEO

DEO T. O. M. agimus gratias pro sinceritate
verbi, & legitimo Sacramentorum usu hætenus
conseruato in Ecclesijs nostris, eundeq; ardentibus
votis precamur, ut porro quoq; hoc cœlesti thesau-
ronos perfrui patiatur; artes atq; technas Lojo-
liticas, quibus omnem movent lapidem ad eri-
piendum illum è manibus nostris, detegat atq; con-
fundat; idq; faciat propter filium suum dilec-
tum Dominum nostrum **JESUM**
CHRISTUM,
Amen.





28 ~~27~~

COLLEGII THEOLOGICI
DISPUTATIO XIV.
De
SACRAMENTIS
IN GENERE,

Quam
IN NOMINE SS. TRINITATIS
SUB PRÆSIDIO
*Viri Admodum Reverendi, Clarissimi &
Excellentissimi*

